



BANQUE COMMUNE D'ÉPREUVES

CONCOURS D'ADMISSION DE 2006

Concepteur : ESSEC

OPTION LETTRES ET SCIENCES HUMAINES

TROISIÈME LANGUE

VERSION LATINE

Durée : 4 heures

Mercredi 10 mai de 14h à 18h

Contre la théorie de la déclinaison des atomes comme origine du monde

5
10
15

Epicurus, in quibus sequitur Democritum, non fere labitur. Quamquam utriusque cum multa non probo, tum illud in primis, quod, cum in rerum natura duo quaerenda sint, unum, quae materia sit ex qua quaeque res efficiatur, alterum, quae vis sit quae quidque efficiat, de materia disseruerunt, vim et causam efficiendi reliquerunt. Sed hoc commune vitium; illae Epicuri propriae ruinae: censeat enim eadem illa individua et solida corpora ferri deorsum suo pondere ad lineam; hunc naturalem esse omnium corporum motum. Deinde ibidem homo acutus, cum illud occurreret, si monia deorsum e regione ferrentur et, ut dixi, ad lineam, numquam fore ut atomus altera alteram posset attingere, attulit rem commenticiam; declinare dixit atomum perpaulum quo nihil posset fieri minus; ita effici complexiones et copulationes et adhaesiones atomorum inter se, ex quo efficeretur mundus omnesque partes mundi quaeque in eo essent. Quae cum tota res ficta sit pueriliter, tum ne efficit quidem quod uult. Nam et ipsa declinatio ad libidinem fingitur (ait enim declinare atomum sine causa; quo nihil turpius physico, quam fieri quicquam sine causa dicere), et illum motum naturalem omnium ponderum, ut ipse constituit, e regione inferiorem locum petentium, sine causa eripuit atomis, nec tamen id cuius causa haec finxerat assecutus est. Nam si omnes atomi declinabunt, nullae umquam cohaerescunt; siue aliae declinabunt, aliae suo nutu recte ferentur, primum erit hoc quasi provincias atomis dare, quae recte, quae oblique ferantur, deinde eadem illa atomorum, in quo etiam Democritus haeret, turbulenta concursio hunc mundi ornatum efficere non poterit.

CICÉRON

* RAPPEL : L'utilisation de toute calculatrice et de tout matériel électronique est interdite.

* Seul document autorisé : un dictionnaire latin-français BORNECQUE, GAFFIOT, GOELZER ou QUICHERAT.